



## Oratiónes Sanctíssimi Rosarii Beatae Mariae Vírginis

**Credo in Deum** Patrem omnipotentem, Creatórem caeli et terrae. Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dóminum nostrum, qui conceptus est de Spíritu Sancto, natus ex Maria Vírgine, passus sub Póntio Pilato, crucifixus, mórtuus, et sepultus, descendit ad ínferos, tertia die resurrexit a mórtuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, inde ventúrus est iudicare vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Cathólicam, Sanctórum communionem, remissionem peccatórum, carnis resurrectionem, vitam aetérnam. Amen.

**Pater Noster**, qui es in caelis, sanctificétur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hódie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos inducas in tentatiónem: sed líbera nos a malo. Amen.

**Ave Maria**, gratia plena, Dóminus tecum; benedícta tu in mulieribus, et benedíctus fructus ventris tui, Iesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

**Gloria Patri**, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in saecula saeculórum. Amen.

**Mi Iesu**, indulge peccata nostra, conserva nos ab igne inferni, duc omnes ad caeli glóriam, praecipue tua misericórdia egéntes.

### Orationes ad Finem Rosarii Dicendae:

**Salve, Regina**, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Hevae. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia, ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

**Oremus:** Deus, cuius Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit, concede, quaesumus: ut haec mysteria sacratissimo Beatae Mariae Virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continent, et quod promittunt assequamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Ad mentem Summi Pontificis N. (genitive case).

Pater Noster ... Ave Maria ... Gloria ...